



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 8. De utilitate Sociorum Europæorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

& Indorum servitiâ quærere. Sed tandem calumnia, & otiosorum hominum importuna cupiditas, utcumque quievit. Nam Neophyti omnes Parancenses Urvaicensesque aliquantulam pacem adepti, post condita oppida, & templa erecta, expleto indulti Regii utroque decennio, post censum ab Regio Senatore factum, lubenter Regi Catholico tributum se soluturos spondere.

**H**UJUS calumniæ additamentum fuit, persuadere voluisse Regi Catholico, Religiosos Societatis, ærarii Regii expensis inutiliter ex Europâ in Paraquariam transportari, aliq̄ue. Hoc nempe etiam angit dæmonem, quòd tot præstantes viri ex Academiâ Europæarum luce, & virtutum religiosarum palæstris, tanquam generosissimi milites selecti, ad se ex antiquâ possessione deturbandum, & ad præliandum bella Domini, veniant. Verùm hujus calumniæ fabricatori abundè mihi fatiscisse hoc volumine videor, tot nationes Regi Catholico per Europæos Socios solâ Cruce armatos subditas; tot regiones sudoribus & sanguine consecratas; tot hominum millia ad partes Christi translata enarrando. Sed Vivat Rex Catholicus, qui quamvis gravissimis bellis implicatus, in summâ ærarii publici penuriâ memor nominis sui, gloriosas expensas facit in mittendis ex Europâ, nutriendisque his, sine quibus (absit verbo invidia) pietas ex his Australibus Americæ regionibus exularet; tot millia Barbarorum aut adhuc gemerent sub dæmonum jugo, aut dentibus rapacium luporum paterent. Attamen otiosi homines, instigante dæmone, ne quid inexpertum ad vexandos expellendosque Socios Paraquarienses relinquerent, ausi sunt eo nomine apud summos Magistratus sugillare, quasi non sanam doctrinam, & hæresim sapientem, Neophytus instilarent.

**C**UM verò probrosissimæ accusationis causa indagaretur, nullam aliam dabant adversarii, quàm quòd Societas in reddendis Guairanicè Dei & Dei Filii, necnon Dei Matris nominibus, uteretur verbis à linguâ Barbarorum depromptis in suâ ethymologia fœdæ significationis, præstigiatoribusque olim attributis. Sed non perfunctoriè se ab his technis extricavit Societas, opposuitque eorum verborum ab se usurpatorum, per integrum sæculum constantem usum, ab summis & expertissimis hominibus nunquam imptobatum. Josephum Anchietam, virum patris miraculis clarum, qui linguæ Brasiliæ idioma, ab Guairanicâ paucis dialectis tantùm differentis, apprime calluit, eo modo quo Socii Paraquarienses Deum & Dei Filium, necnon Dei Matrem Guairanicè nominant, Brasiliè etiam appellare: Episcopos Paraquariæ omnes, viros clarissimos, Dominicanos, Mercenarios, & Franciscanos, qui in Paraquariâ ante Societatis adventum gloriosissime in reducendis Indis infudârunt, iisdem, quibus postea Societas, verbis usos fuisse. Sanctissimum virum illum Ludovicum Bolaños, Americæ, Seraphicique Ordinis novum sidus, qui duarum Synodorum Provincialium jussu Christianam doctrinam feliciter traduxit, revisitque, non alia adhibuisse verba in explicandis prædictis nominibus, quàm ea, quæ Societas usurpat. Quare cum Concilium Limense ab Summo Pontifice approbatum præceperit, ab catechistis ea verba adhiberi in explicandâ doctrinâ Christianâ, quibus diocesales Synodi uti præcepissent, conclusum est, aut eas Synodos, & Episcopos, & omnem retrò antiquitatem, clarissimosque Religiosorum Ordinum viros & Inquisitores Fidei Brasiliæ traductionis censores, hæresis esse damnandos, vel Societatem absolvendam. Sic in calumniæ autores vertit infamia.

**N**EC infeliciorem exitum habuit infamatio, quæ Paraquarienses Socios apud summa tribunalia, & in publicis privatisque congressibus, tanquàm schismaticos traducebat: nam cum id idè fieret, quòd Societas sententiam rogata respondisset Episcopo, sine litteris Apostolicis consecrato, nullum jus esse ad Episcopatum: accedente postea Summi Pontificis judicio id idem sentientis, scilicet nullam jurisdictionem Episcopum sic consecratum habuisse determinantis, facillè omni-

*Indi Urvaicenses Parancensesque tributum solvant.*

**CAPUT VIII.**  
De utilitate Sociorum Europæorum.

*Philippus Quartus Rex Catholicus laudatur.*

**CAPUT IX.**  
Alia Synchronia de traductione Catecheseos diluitur.

*Autores Guairanicæ Catecheseos traductionis.*

**CAPUT X.**  
Societatis de consecratione sua doctrina.